

† R. P. Franciscus Hahn (1875 - 1953)

(Vice-Prov. de La Paz)

In urbe Eger (hodie Cheb), archiedioeceseos Pragensis, die 25 Sept. anni 1875 natus et die 9 Sept. anni 1893 vota professus, notabilem aetatem 78 annorum assecutus est, quorum sexaginta Deo in Congregatione dedidit et 48 vitae apostolicae. Procul a patria in oppido Tupiza in Bolivia meridionali sita mortuus est die 23 Oct. anni 1953.

Erat « vir simplex et rectus ac timens Deum » (*Job*, I, 1) atque animo quodam cingari praeditus. Ingenii speculativi, ut erat, tamquam clarus mathematicus nomen sibi acquirere potuisset; irresistibili autem instinctu pellebatur ad vitam instabilem missionarii, qui inter gentes simplices et pauperes sine tecto et fixa sede passim vagatur.

Quattuor annos scientias mathematicas in iuvenatu et studentatu Provinciae suae matricis tradidit, atque multi ex pristinis discipulis et commilitonibus postea ad munera Provincialis aut Superioris ascenderunt in Provinciis ab Austriaca ortis; ille autem humili suo apostolatu omni ascensus studio callum obducente, potius abhorrebat iis communitatibus adscriptus esse, quae in magnis urbibus erectae erant.

Animus itinerum studiosus primo eum in Daniam duxit, quae, eo tempore non iam Vice-Provincia, pars Provinciae Austriacae erat. Deinde aliquod tempus in Vice-Prov. S. Pauli in Brasilia commoratus est. Tum eum, per breve tempus ad patriam reversum, P. Hellbach post Capitulum generale anni 1909 secum in Argentinam duxit, unde a. 1930 in Boliviā transiit, quia montes ibi altiores erant; reversus quidem est a. 1938 in Argentinam; sed cum anno 1942 Vicarius apostolicus de Reyes in Bolivia nostris committeretur, nihil peregrinatorem infatigabilem tenuit, ut in illo dissito in cultoque angulo mundi operaretur. Ultimos vitae annos communitatī Tupiza adscriptus, tandem morte quievit.

Quantum poterat, pedibus ambulabat et pedes etiam magna itinera apostolica perficiebat, aspernans sedem commodiorem in curru, ab Indianis vel agricolis oblatam, uti ibi moris est. Breviarium, vetus liber trigonometriae vel grammatica linguae indianaee vel aliqua concordantia diversorum idiomatum fideles comites erant, nec raro etiam domi remissionis tempore videbatur volvens opera ista aliis aridissima. Spiritum acrem se paebebat in academiis domesticis, quibus praererat.

Animus nomadis eum non tantum itinera pedestria facere, sed etiam altissimos montes ascendere faciebat. Stirpes, quibus e domo Salta missiones praedicabat, sub verticibus montium regiones solitarias inhabitant, quae complura milia metrum aequor maris supereminunt. P. Hahn vero, una missione finita atque altera nondum coepta, ad cacumina quinque et plurimum milium metrum contendebat. Haec culmina pedes petebat, plures dies in ascensum consumens et parcum victum secum portans, pericula interdum obvenientia non timens. Vere magni imbres repente effusi, hieme frigores atque nives imminebant, sed Dominus eum in omnibus periculis protexit.

Quondam cum altero Patre in montibus degebat, et unus ab altero complura kilometra distabat. P. Hahn, suo itionis impulsu raptus, fratrem visitaverat, cumque inter colloquia et sacra ministeria advesperasset, in redditum se coniecit. Caeli prognostica nivem annuntiabant, et revera in media via nives adeo fortes viatorem obruerunt, ut semitae signa plane cooperirentur. Nox venerat, P. Hahn a via aberraverat, quid faciendum? Quaerebat, ut inter saxa antrum inveniret, quod paululum saltem protectionis praestaret contra incidens frigus noctis horribile. Ultimum et unicum refugium oratio erat, et illico sibilus machinae tractoriae viae ferrariae per vastam solitudinem sonuit; simul firmamentum clarum factum est, stella apparuit, et huius stellae luce sonituque vaporiferi viam determinare potuit. Ad locum suum magis mortuus quam vivus pervenit. Boni christiani, qui eum iam dudum exspectaverant, eum reficiebant; sequenti die viator firmus ad altare stabat et plenum missionale opus agebat.

Attamen etiam hic animus « cingari » fortis portentorumque cupidus in una re labebatur; scrupuli enim in materiis iustitiae et in administratione sacramentorum emergentes martyrium continuum ei attulerunt usque ad ultimos vitae terrestris dies. Quoties manualia theologiae moralis volvebat, a laboribus apostolicis reversus! Quot cartulas et epistulas confratribus, quibus confidebat, scripsit, iudicium petens vel rogans, ut pro se certis quaestionibus studerent! Ultimum responsum ad eum directum est eo die, quo animam Deo reddidit. In uno autem puncto omni ambiguitate maior erat neque illum scrupulum experiebatur, scil. quando non ieunus S. Missam celebrare debebat, ut uni vel pluribus infirmis viaticum dare posset.

Non pauci moralistae hunc casum parum practicum esse autumant, sed illis temporibus missionarii Americae meridionalis saepe in hac condicione erant. Christiani procul a viis valde disperse habitantes Patres exspectabant ad mis-

siones exeuntes, et efflagitabant ut suis infirmis assisterent. Nostri altaria portatilia secum ferebant. Unus iter ad missionem pergebat, alter a nuntio ad infirmos et senes ducebatur, qui ultimis Sacramentis muniri desiderio magno desiderabant. P. Hahn, quia usque ad sequentem diem exspectare nequibat, absque ulla mora altare portatile componebat, confessiones audiebat, Missam celebrabat, viaticum et extremam unctionem administrabat, deinde proficiscebatur ad locum missionis.

Etiam domi degens P. Hahn, mortificationem non timens, ardens apostolus infirmorum erat, quibus, haud raro post dura itinera complurium dierum, religionis nostrae solacia afferebat.

Cum corpus eius moreretur, exhaustum tot apostolicis itineribus pedestribus, frigoribus montium et caloribus vallium, aegritudinibus in vicariatu Reyes contractis, animus, post tot scrupulos et angores tandem liber, sicut gigas exultavit et viam ad Deum cuccurrit atque nunc, uti speramus, admirabilia Dei Creatoris mysteria in lumine gloriae contemplatur (1).